



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-316781-p0002-7

DFG

C. H. n.

DISSTATIONEM INAVGVRALEM,

QVA:

VTRVM POENA CAPITALI
COERCENDVS SIT CONATVS
HOMICIDII SIMPLICIS PROXIMVS, EX
MENTE C. C. C. ATQVE MARCHICO.
BRANDENBURGICAE?

INQVIRITVR,

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS INDVLTV
COERCERE IN REGIA FRIBERICIANA
SIMPLICIS PROXIMVS EX MENTE C. C. C. ATQVE MARCHICO
SVMMIS IN VTROQUE JVRE HONORIBVS

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

D. VIII. MAI I. C^o ICCC LXXIII.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

GEORGIVS FRIDERICVS HOLTZHAVER
POMERANVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

IT TERIS EYERIANIS.

DISSERTATIONEM IN VENARIA
ATRAM POENI CAPITALL
CORRECENDAE SIT CONSTATAS
HOMICIDII SIMPLICES PROXIMIS EX
MENTE C.C.C. ATQUE MARCIGO.
BRANDENBURGICAE

CORRIGENDA.

Pag. *lin.* leg.
ILLUSTRIES IARRCCATORIA ORGANICAE INDVLTA

2. 8. paucos
IN RESTITUTIONE TRICETANIA

5. 5. Carolinae

10. 11. committeret

13. vlt. mulieres

15. 5. commissua

12. 12. eadem

17. 14. primum

DE ATE MATH. CLAVES ET TEXTUS

HEM. 6.

PLACIDO KRAIBURGIAN EXAMINI

SEMINAT.

GEORGIAE LUDWIGICAE HOLTSHAVER

ROMANIANA

HAIE MAGDEBURGICAE

***** ETIATRIS EXTRATANIS *****



4.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS,
QUA:
**VTRVM POENA CAPITALI
COERCENDVS SIT CONATVS HOMICIDII
SIMPLICIS PROXIMVS EX MENTE C.C.C. AT-
QUE MARCHIO BRANDENBURGICAE?**

INQVIRITVR.



Quum summos in utroque jure honores ab Illustri
Jureconsultorum Ordine impetraturo speci-
minis aliquid elaborandum esset idque publi-
ce defendendum, magnam vero partem offi-
cii Jureconsulti absolvit recta atque genuina legum explicatione
jam dudum credidisset, in quaestione incidi: utrum pena ca-
pitali coercendus sit conatus homicidii simplicis proximus, ex

A

mente

mente C. C. C. fatque Instructionis Criminalis Marchico-Brandenburgicæ? Si qui vero sint, quorum forsan erunt paucissimi, qui, quæ me impulerit, ut hæc potius quam alia literis mandarem, ex me quærant rationem, iis, etiam si paucissimi sint, tamen respondendum existimo, nihilque, esse puto, quod facilius a me possit expediti. Neminem scilicet hoc tempore Halæ viventium ignorare, vel potius jam oblitum esse credo penam, qua muliercula quædam in pago satis vicino ante paucas tantum menses affecta est. In homicidio vero erga hominem cognitione ei iunctum inchoato comprehensa carceribusque inclusa ad gladium condemnata est, eoque post peractam defensionem aliasque solemnes ritus capite truncata. Ut differre solent cum reliquorum hominum, tum præcipue eorum, qui explanandis applicandisque legibus, iis in primis, quæ criminum fanciverunt penas, operam navant suam. opiniones, accidit & hic, utrius penas delicto atrecior, aliis secus videretur. Etenim in definienda criminum natura admodum vacillantibus quam plurimis alii homicidium, ut aiunt, simplex id appellant, quod aliis aut parricidium aut latrocinium aut alia denique gravior homicidii species numeratur. Eadem inde oriuntur magnorum Jureconsultorum in penis dictandis dissensio, quarum vero non nullæ longi temporis vsu in plurimis fere tribunalibus conservatae sunt. Ego vero, quum liquevit rationes, quibus in ista causa iudex supremus isque iustissimus motus gladii

dii pcam feminæ infligendam statuisset, inspicere, satis admirari non possum, quam longe a consuetis, quibus maleficorum causæ dirimuntur, argumentis discedant. Relatis enim diversis Jureconsultorum de pœna conatus sententiis scriptum erat:
 „Gleichwie aber opiniones Doctorum kein gesetz ausmachen
 „&c. — so kommt es hauptsächlich darauf an, ob gesetze vor-
 „handen seyn, welche die Erkennung einer pœna capitalis licet
 „extraordinarie in gegenwärtigem falle nothwendig machen
 „oder rechtfertigen können,“ adductisque l. ff. ad L. Cornel. de
 sic. & l. i. ff. ad L. Pomp. de parricid. iisque pro clarissimis de-
 claratis sequentia posita erant verba. „Nach dem erstern würde
 „Inquisitio das leben schon verwürckt haben, wenn gleich auf
 „die qualitatem latronicinii und den umstand eines bey der
 „that intendirten commodi keine rücksicht genommen würde, &
 paucis interjectis: Zwar sind diese leges keine landesgesetze oder
 statuta, indessen aber kan die verbindlichkeit, solche deficien-
 te lege provinciali in indicando pro norma zu nehmen, wohl
 nicht bezweifelt werden, wenn man erwägt, daß eines theils
 selbst die Carolina an verschiedenen orten den recursum zu den
 gemeinen kaiserlichen rechten seu ad ius commune offen lassen,
 auch solcher secundum Kressium ad art. 1. C. C. C. n. 4. in der
 ordnung befolget werden muß, daß in decidendis causis crimi-
 nalibus zuerst auf jura loci, sodann aber auf jura des landes,

❧ ♦ ❧

fürstenthums, des römischen Reichs Abschiede, die Carolinam, und endlich auf das geschriebene römische und päpstliche Recht gesehen werden muss; andern theils aber den in E. K. M. Criminal-Ordnung Cap. I. §. VII. enthaltenen eid. eines criminalrichters ansicht, durch welchen derselbe ausdrücklich zuvörderst auf die Criminal-Ordnung, sodann auf die peinliche Hals-Gerichts-Ordnung Kaiser Carls des Vten, und demnächst auf die gemeine Kaiserliche Rechte und Constitutionen verwiesen und verpflichtet wird. Quæ quum ita essent, mihiique in tali regione, vbi in causis & criminalibus & civilibus, quin omnibus qui buscunque decidendis exacta seruatur iustitia, vitam degendi contigerit fortuna, operæ premium me facturum esse putau, si mentem C. C. C. eruere, atque tam secundum eam quam Instructionem Criminalem Marchico-Brandenburgicam definire conarer: an mortis pena locum inveniat in homicidio simplici inchoato seu, ut alii loqui malunt, in conatu homicidii simplicis proximo. In definiendo enim cædis ab ista muliercula inchoatae gradu in certæ erant priuatorum hominum opiniones, eamque secundum iurium communium sanctionem pro simplicis homicidii conatu, capitis penam haud commerito, habebant. Quæ si falsa esset sententia, ad alios eosque maiores homicidii gradus facile esset argumentari. Neque ab instituto me reuocavit meatus, ne riderent viri in Germania docti frustaneum & irritum iuuenis

iuuenis conatum, contra omnium Doctorum sententiam, imo
 totius, ut ita dicam, orbis consuetudinem legem explicandi.
 Licet enim inficias non eam, alia saepius obtinere in foris Ger-
 maniae quam plurimis, quam quae leges præscripferint, ideo
 tamen non plane inutile esse credidi propositum veram Catolinae
 nostræ constituendi sensum, et si utilitas inde oriunda doctrinalis
 tantum vel, ut ad palatum plurimorum loquar, in foro perex-
 gua sit. Nam consuetudines per se, quamvis fere ubique invaluerint,
 non id esciunt, ut, quem legislator exprimere voluerit, sensus
 appareat. Fas igitur esse videtur, ut ego veram C.C.C. men-
 tem inquisituris ab omni Jureconsultorum sententia etiam lon-
 gissimo usu recepta mentem parumper abducam. Nihil enim
 magis verum investigaturo obest quam si auctoritatem virorum
 doctrinae & peritiae nomine clarorum servili ritu sequens desinat
 suum iudicium adhibere, id tantum ratum habeat, quod a viro
 in primis acuto, quem probat, iudicatum viderit. Neque vero
 virium mearum imbecillitatis nescius in medium me aliquid pro-
 laturum esse puto, quod ab omni dubitatione liberum, virorum
 magna iurium cognitione instrutorum assensum excite, cum e
 contrario facile mihi persuadeam, fore, ut scriptum iis meum in-
 choatum tantum, & a perfectione quam maxime remotum esse
 videatur. Sed idem ego memini neminem alienæ scientiæ invi-
 dere, qui confidat sua, & ut quisque sit elegantissima & uberri-

ma rerum cognitione instructus, ita eum quoque in aliorum
tenuibus ac rudibus initis censendis indicem solere mitissimum es-
se. Qua spe firmatus etiam id exspectare audeo, ut lectorum
benevolentia mihi in illis anfractibus trepidanti fere, timentique,
ne in lubrica via subvertar, non magis ad augendum quam ad
confirmandum animum meum succurrat. Jam omnis disputatio
nostra sic procedet:

I) Quid sit homicidium simplex qualisque, ut inquam, pro-
ximus eius conatus? §. II - V.

II) An pena capitali coercendus sit proximus homicidii sim-
plicis conatus ex mente C. C. C.? §. VI - VIII.

III) Quænam secundum Instructionem Criminalem Marchico
Brandenburgicam obtineat mulcta? §. IX.

IV) Vtrum sanæ rationi conveniat, conatum homicidii simpli-
cis proximum eadem pena affligere, quæ crimen absolu-
tum seu consummatum sequi soleat? §. X.

Ad primam enim quæstionem respondendum esse ideo putavi
quia, nisi ante declarasssem, quid sub homicidio simplici eiusque
conatu proximo intelligatur, de pena eiusdem frustra agerem,
nam ipsæ leges non usi sunt nominibus homicidii simplicis, nec
remoti conatus proximique, sed Doctorum curæ atque diligen-
tiæ ista debemus. Qui vero in eorumdem usu non plane consen-

SCT

e A

tiua

4.

tiunt sed inter se discrepant. Carpzovio enim illud est simplex,
quod aliis indelibetur. Alii, ut infra ostendam, plura ad qualifi-
catum retulerunt quam reliqui. Sed haec deinceps. Nunc rem
ipsam aggredior.

Prætermisso nimirum, quæ ad consilium nostrum non per-
tinent, *autoxelia* seu crimen quo quis sibi ipse vitam violentia
manu extinguit, homicidio, ut aiunt, casuali, omisivo, iustitiae,
homicidium significare ponimus factum hominis, quo
altera vita iniuste privatur. Sed qui vitam inde amittit, qui vita
alterum privando iniuste agit, ipsa denique actio, variant, inde-
que homicidium ipsum spectatur diversum.

Is primum, qui vitam per factum alterius iniustum amittit,
erga occisorem vel præcipuam & ab ipsis legibus notatam rela-
tionem habet, vel non. Quam relationem secundum C. C. C.
habent parentes atque liberi naturales, ceterique proxima co-
gnatione iuncti (nahe gesippste Freunde), personæ graues atque
eminentes (hohe trefliche Personen), dominus occisoris (des
Thäters eigen Herr), coniuges (Eheleute).

Si vero ad eum respicimus, qui tale facinus admiserit, facile
pater, eum aut unum esse, qui solus rem peregerit, vel plures
alios. Et si plures sunt, æque apertum est, vel omnes immedia-
te perpetrasse crimen, vel unum sceleris architectum reliquos eius
ministros fuisse. Agit de prioribus, homicidium in turbam com-

mitten-



mittentibus art. CXLVIII. C. C. C. Mediate vero aliquem homi-
 cidam esse posse, modo sit facti causa proxima, nemo inficias ibit,
 perpendens, quod in l. 15. ff. ad L. Cornel. de sic. ab Vipiano
 dictum reperitur: *nihil interest, occidat quis, an mortis causam*
praebeat, quodque facit qui occidendi consilium dat l. 3. §. 4. ff. ad
 L. Corn. de sic., qui opem occisuro fert l. 1. §. 1. ff. ad eand. l. 7.
 ff. ad L. Pomp. de parric., qui mandato intervenit, quia *manda-*
tor cedes pro homicida habetur l. 15. ff. ad L. Corn. de sic., aut
 iussu &c. *Sequuntur obit mativ imp. et omnia libet.* Circa actionem vero ipsam vel qualitates internæ, spectan-
 tur, vel relationes. Internæ vero eius qualitates considerantur
 vel quoad ipsam formam, vel quoad accidentia adiuncta. Forma
 vero ita differt: vel committitur aliquid, e quo mōs conse-
 quitur & hoc tam si quis in corpus alterius grassatur v. c. gladio
 aliquem interimit, quam alio modo v. c. *si quis, cum in magistra-*
tu est, esset, eorum quid fecerit contra hominis necem, quod le-
gibus permisum non sit l. 4. ff. ad L. Corn. de sic., *quive falsum*
testimonium dolo malo dixerit: quo quis publico iudicio rei ca-
pitalis damnaretur: quive magistratus iudexve questionis sub
capitalē causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret;
 l. 1. §. 1. ad eand., vel omittritur aliquid, a quo viræ conservatio
 dependebat quodque ne omittetur lege prohibitum erat. Sic
 e.g. infantes saepius omissione curæ, sine qua vivere nequeunt,
 non

4.

non solum omessa vmbilici deligatione, sed inedia, & desertione, & squalore, si in illo, cum quo nati sunt, diu iaceant, interficiuntur. Quam vero curam pueroram infanti recens nato debere nemo negabit. vid. Leyserus in med. ad ff. spec. DCXI, med. XXXIII, l. 4 ff de agnosc. & al. lib. necare videtur non tantum *is, qui partum perfocat, sed & is, qui abjicit;* ET QVI ALIMONIA DENEGAT &c. vid. quoquo de Boehmer in medit. ad art. CXXXVII. C. C. C. § 1. *omissio, inquit, non minus euentum noxiuum producit quam commissio, & sic utrilibet causa proxima mortis est.* Potest vero homicidium vel sola omissione patrari, vel facto commissivo simul antecedente. Si e. g. muliercula infantem cistæ includit & alimoniorum detractione necat, inclusio ita mortem per se non efficit, sed præcipua mortis causa est derelictio, denegatio alimoniae, cf. iam cit. l. 4. ff. de agnosc. & al. lib.

Relationes vero actionis consideraturus & ad antecedentia, & ad euentrum, & ad cognitionem aliorum respicere debet. Ea autem, quæ actionem antecedunt, vel sunt in ipso agente vel extra eundem. Inter ea, quæ in agente sunt, referuntur libertas seu moralitas actionis & finis. Quoad priorem homo, dum peccat, vel ex intentione agit seu voluntate, vel ex neglegctione debite attentionis tantum. Inde orta est divisio homicidii in dolosum & culposum. Si vero homo voluntate aliquem interficit, voluntas vel est directa vel indirecta quæ ita cognoscitur:

B

homo



homo alterius mortem vel directe intendit & huic intentioni con-
veniter effecit, vel indirecte h. e. aliam quidem iniuriam alteri
inferre voluit, attamen ex ista mortem æque facile sequi posse
præscivit. Et hi quidem hominem occidendi modi sub nomine
homicidii ex intentione directa seu animo occidendi & intentione in-
directa seu animo nocendi commissi venire solent. Porro si quis vo-
luntarie alterum vita privat, vel prævia deliberatione se ad facinus ac-
cingit, vel impetu & ex calore iracundiæ. Si prius, homicidium deli-
beratum, si posterius, indeliberatum (ein Todschlag aus Jaheit
und Zorn art. CXXXVII. C. C. C.). Quæ vero extra auto-
rem cædis antecesserunt, autequam crimen comitteret, ea omnia
continentur loco, tempore, ceterisque occasionis adjumentis,
quibus ad facinus perpetrandum usus est. Si finis spectatur occi-
denti, vel in solam alterius mortem vel præter mortem in aliud
quid v. c. lucrum, mercedem, directum esse posse neminem
latet. Eventus vero etiam homicidii faciem mutat, dum enim
homo alterum interficiens erat & re ipsa interficit, vel eum,
quem volebat, necat, vel ex errore seu casu alium. Qua ra-
tione e. g. pater occiditur ab eo, qui alium hominem vita priva-
turus erat. In relatione actionis ad cognitionem aliorum hocce
invenitur discrimen: vel nexus inter mortem alterius & facinus
apertus & certus est, vel latet & incertus est, indeque sit, ut
difficilis inuestigatu sit corpus delicti in criminibus omissis
omod quam

❧ ♫ ❧

quam in commissivis. Sed huic rei ad propositum non proprie
spectanti, non est, quod diutius immoremur, inquiramus nunc
potius, quid sub qualificato & simplici homicidio intelligent.
Quæ scilicet dividendi ratio ex Jureconsultorum doctrina, tam
quam fonte suo, haurienda est, cujusque mens hæc esse videtur:
homicidium vel ratione personarum, quæ vita priuantur, ratio-
ne modi quo patratur, ratione finis, quem occisor sibi proposuit,
singularem induit qualitatem aggrauantem, vel non, & prius
qualificatum, posterius simplex vocatur. Qualificatum igitur
est tale vel ratione personarum quas supra numeravimus, vel ra-
tione modi, quo referunt beneficium & proditorum, vel ratione
finis: homicidium a conducto commissum seu assassinium, &
lucri caussa a non condueto patratum seu lotrocinium. Proditorum
vero, quod aiunt, seu homicidium ex mera proterua, maxime
per eas insidias, quæ prævideri & præcaveri non facile possunt,
perpetratum (vid. Ill. meister in princ. iur. crim.) a non nullis, ex
quibus Ill. Kochium honoris causa nomino, vt simplex homici-
dium spectari, non ignoro. Sed quæ de hac re inter viros do-
ctissimos orta est alteratio, meam in præsentia, ut tempori par-
cam, non faciam, nam pro scopo meo sufficit, superesse quan-
dam cædis humani speciem, simplicis homicidii nomine deno-
minandam.



§. III.

Est igitur homicidium simplex, quodj neque ratione personarum vitam amittentium, neque ratione modi, neque ratione finis, grauius putatur. Quod si ad alias, quas de homicidio in genere fecimus, retulerimus divisiones, patebit, homicidium simplex & ab uno & a pluribus tam mediate quam immediate, cum committendo tum omittendo committi posse. Committendo fit, si quis in corpus alterius gravissatur, alioue modo, ut §. præc. notauimus, quod & de homicidio simplici dici potest. Omitendo fieri posse homicidium simplex, certum est multis Jureconsultorum, e quibus provoco ad Perillistr. de Boehmer in med. ad C. C. C. art: CXXXVII, Tenzelium in diss: de pena criminis imperfecti seu conatus in criminibus; a non nullis vero in dubium vocatur affirmantibus, per solam omissionem vix fieri posse, ut homicidium patretur. Sed ista quæstio non multum habere videtur difficultatis. Nemo enim primo dubitabit, quin ex sola omissione cædes interdum fiat, exemplo puerperæ umbilicum non obligantis satis claro. Cardo igitur totius rei in eo tantum versatur, ut definiatur, utrum quis alteri homini, nullo cognationis vinculo sibi iuncto quædam hoc sine praestare legibus externis cogatur, ne alter pereat. Quod ita esse nullus dubito. Pone, si placet, obstetricem quandam, cuius generis mulieris in plerisque Germanicæ locis juramenti religione adstringun-

Stringuntur ad eudem puerperis sancte exhibendam, omisso umbilicum obligare infantis recens nati, indeque factum esse, ut infans vitam amitteret, nonne haec obstetrix homicidium simplex idque omitendo perpetrasse dicenda est? aut, si mavis, fac quendam filio parvulo a se adoptato alimonia detrectasse, eoque filiolum vita privatum esse, nonne pater adoptiuus simplex homicida isque omittendo factus est? Satis superque commonistrare videntur exempla, quod homicidium simplex omittendo fieri possit, tam vero sola omissione quam facto commissio omissionem praecedente fieri posse aperto apertius est, & ut posterius exemplum repeatam, pone patrem filiolum adoptatum in cistam clausisse eique alimenta denegasse. Porro homicidium simplex & dolosum & culposum, dolosum autem tam directum quam indirectum, tam deliberatum quam indeliberatum esse, culposum, & dolosum idque directum & indirectum, tam committendo quam omittendo committi potest.

§. IV.

Si quis de altero homine necando cogitauit & ad actiones eum in finem iam externas prolapsus est, fieri potest, ut homicidium aut efficiatur aut non efficiatur. Quod si posterius est, hominem necem alterius conatum esse, ipsasque actiones in mortem alterius tendentes eamque non plene efficientes *homicidii conatum* aiunt. Istae actiones quum vel ad necem alterius instru-



menta seu opportunitatem pareant vel ipsius facinoris initium iam faciant, illis *conatum homicidii remotum*, his *conatum proximum* contineri dicunt. Si in causas, quæ impediverint quo minus homicidium consummaretur, inquisiveris, invenies, eas voluntati hominis occisuri vel adversari vel respondere.

Iam quum homicidium varia ratione dispescerimus, omnino quærendum est, an omnis homicidii speciei cogitari possit *conatus*? & hic quidem neminem dubitare credimus, quin plures conari possint cædem hominis, si omnes immediate agunt; si autem mediate agunt, quum in criminis quasi sint societate mediate & immediate agentes, recte & mediate occisuri necem conari dicuntur. Quid de iis, qui omitunt, quæ committere perfecte tenentur ut vita alterius conservetur? Et hi homicidium conari posse nullus negabit, nisi qui putet verbum ita non recte applicari. Sed sæpius iam de factis & actionibus omissis disputatum est, non quidem de factis, sed de verbis tantum, re enim ipsa consentiebant altercantes, & omne certamen hocce pacto finitum est: in verbis simus faciles. Quo pacto & ego utar, ne obiurgatores placare opus sit. Nonne, ut exemplum repetam, puerpera necem infantis intendens umbilicumque obligare intermittens *conatus homicidii* se ream reddit, si quis superveniens vitam infantis adhibita deligatione umbilicali servet? Sed *conatus* vel *remotus* vel *proximus* est, primo igitur intuitu

conatus

4.

conatus omissius & remotus & proximus esse videtur. Non omnis vero conatus omissius ante remotus, quam proximus est, & haec est causa, quare supra dixi, & sola omissione necari posse & ea, cui factum commissuum antecesserit. Conatus pure omissius, quum nulla antecedant facta omissua, ideoque non facta præparatoria, remotus esse nequit, sed statim proximus est. Sed pone conatur tali antecessisse factum aliquod commissum, illud omnino, si ad cædem referri potest, ut præparatorium spectandum est. Femina e. g. infantem fame necare intendens vel in eistam eum includit, vel sola alimonie denegatione cædem conatur, & posteriori in casu quis audeat illud discernere, quo mulier cædam præparaverit & illud quo eam inchoaverit?

Sed nunc ad istud, quod inter homicidium culposum & dolosum positum est, discrimen venimus. Facile quidem probatur homicidii culposi conatum esse non posse, si verum est, conatum sine voluntate minus recte cogitari. Dolosum vero homicidium, quum ex intentione suscipiatur, quis dubitet eius dari conatum? Sed intentio vel directa vel indirecta est. Quid si homo ex indirecta intentione agit, non vult quidem ut alter vita privetur, sed illud vult, ex quo mortem alterius æque facile sequi posse prævidit? Eum homicidium conari posse puto. Sufficit enim, ut adsit conatus, si voluntate quis egerit. Ex intentione

tione vero indirecta occisurus licet malit ut alter non moriatur,
 quum mortem alterius æque facile sequi posse præviderit & de
 fuscipiendo non destitetur, quin necem alterius voluerit eamquæ
 conatus sit, non dubitandum est. Sed etiam de deliberalo homici-
 dio & indeliberato loquutus sum. Dari vero conatum indelibera-
 ratum nemo non facile perspiciet, absentia enim deliberationis
 non voluntatis absentiam involuit, verum ex imperu agens vo-
 luntarie agere, ideoque & conari posse recte creditur. Iam co-
 natus homicidii efficitur actionibus externis necem alterius inten-
 dentibus eamque non plene efficientibus. Caussa vero, quare
 homicidium non perficitur, vel hominis agentis voluntati adver-
 satur vel non, & quum nullæ aliae causæ esse possint homicidium
 suscepimus impeditentes, sequitur, causam, quare homicidium
 siue ab uno siue a pluribus & mediate & immediate, tam com-
 mittendo quam omittendo, tam dolo directo quam indirecto siue
 deliberalo siue indeliberato animo attentatum, non consummatum
 sit, vel voluntati agentium adversari vel respondere.
 ab suis condicibus eti. vniq. §. V. enim non in modis
 Quæ de conatu homicidii generatim sumti, eoquæ tam pro-
 ximo quam remoto, sphaerantecedenti dicta sunt, ea hinc absque
 negotio ad homicidium simplex applicari possunt. Hoc enim
 vel ab uno vel a pluribus tam mediate quam immediate aut
 committendo aut omittendo, vel dolo eoquæ directo & indirecto,
enim non in modis
 deli-

deliberato & indeliberato, vel culpa patrari posse iam supra notauimus. Pone nunc hominem de homicidio simplici cogitasse, vel iam ad actiones prolapsus est vel non. Et si istud, vel perfecit facinus, vel tantum conatus est. Si non perfecit, vel praeparauit vel ipsum inchoauit. Est igitur conatus homicidii simplicis vel remotus vel proximus. Pone porro omittendo id fieri, & habebis conatum homicidii simplicis omissiuum. Pro diversitate vero dolii in homicidio simplici differt ipse conatus, homicidii igitur simplicis conatus oritur e dolo directo vel indirecto, utroque deliberato vel indeliberato.

§. VI.

Homicidii simplicis, ejusdemque proximi conatus natura propositi mei saltem ratione satis definita, rem ipsam nunc agredior, investigaturus scilicet: an iste conatus morte puniendus sit? Quae disputatio quum in tres quasi partes abeat, primum quero: utrum ex C. C. C. capitalis poena adpareat?

Ad Art. CLXXVIII. huius constitutionis hic potissimum recurrentum esse quisque iuris criminalis germanici non plane imperitus facile tecum consentiet, eique indolem huius articuli proprius insipienti statim apparet: Imperatorem sanctis nonnullorum criminum perfectorum poenis in eo versari, ut statuat, quomodo delicta, quae licet coepta, consummata tamen nondum

C

fint;



sint, recte iusteque puniantur. Hoc igitur primum tam certum quam quod certissimum est, Imperatorem non de eo tantum coⁿnatus gradu, qui proximus seu crimen inchoatum ab interpretibus nominatur, sed de conatu in genere verba fecisse. Quod scilicet non ex inscriptione solum articuli: *Straf unterstandener Missethat*, sed ex eiusdem etiam verbis patet, dixit enim Carolus noster: *so sich iemand mit ehrlichen (etlichen) scheinlichen Werken, die zu Vollbringung derselben Missethat dienstlich seyn mögen, unterstehet &c.* Facta vero, & quae praeparatoria tantum sunt, criminis perficiendo inservire nemo inficiās ibit. Quod vero ideo solum monui, quia aliis iisque paucis aliud vi- sum est. Plerique interpretum iisque tantum non optimi eandem mecum tueruntur sententiam. Nec id non animadvertendum est, Caesarem nostrum non criminum tantum atrociorum sed conatus omnium delictorum poenas suissē definiturum. Distinguit vero Carolus inter causas, quae coepio delinquentis impedimenta posuerint, eadem ratione, ut supra distinximus, easque vel voluntati agentis adversantes vel non adversantes esse assumit. Piores si adessent, ut conatus poena criminali puniretur sanxit Imperator, sed simul, quae eius sapientia est, iniungit, vt non eadem infligatur poena, sed pro magna diversitate criminis coepi & circumstantiarum cuique adiectarum differat. Modus vero ipsumque genus poenarum non penitus praescriptum est, iussit potius

tius legislator, ut iudices atque scabini ab iis, quos Imperator
dein nominaturus esset, quomodo iste conarus aut mortis aut alia
poena criminali coercendus sit, consilium peterent. Postquam
enim Carolus V. in multis constitutionis sua articulis de quaeren-
do peritiorum consilio loquutus erat, art. demum CCXIX. expli-
candum esse ducebat, quinam essent, quorum consilium iudices
rogare deberent. Sed iam, quod ad rem meam praecipue per-
tinet, quaero: quamnam igitur quantamque Imperator iis, quo-
rum consilia petendi iudicibus criminalibus officium imposuit, in
causis maleficorum decidendis tribuerit potestatem? Vtrum va-
go eorum arbitrio permiserit, quomodo cumque illis placuerit,
causas ad eos relatas definiendi poenasque statuendi, an vero vo-
luerit ut ad certam regulam iudicia ferrent, regulamque ipse
praescriperit? Quam si neglexisset, indulgendum fere
esser ingenio humano de rebus se ipsum concernentibus
summum libenter atque optimum cogitante interpretum,
si leges ferendi potentiam sibi demandatam seque vitae & necis
dominos esse crederent. Ast qui tali cogitatione sibi placerent,
male de Imperatore cogitarent eumque de verborum quadam re-
pugnantia accusarent. Quod probaturus dum ad praefationem
Carolinae nostrae eiusque art. CIV. & CV. refugio, quoad ver-
ba ibi occurrentia quaedam præmonenda esse videntur. Ysus
enim est Imperator hisce terminis saepius: *die gemeinen Rechte,*



unser Kaiserlich Recht. Suam vero constitutionem non subintellexisse, sed alia iura, certo certius erit vni cuique vel leuiter consideranti, ista iura constitutionis nostrae tam in dicta praefatione quam adductis articulis opponi. Sed quaenam illa alia iura sint, quorum Carolus V. mentionem fecit, manifestandum mihi que multis rationibus probandum esse videtur. Sed quid amplius? Conveniunt nostra aetate Jureconsulti in ea sententia, per verba gemeine geschriebene Rechte & unser kaiserlich Recht ius romanum innui. Attamen si sint, qui dubitare quam communi huic sententiae accedere malint, me nihil argumentis, quibus in primis DATTIVS in volumine rerum germanicarum nouo sive de pace imperii publica lib. IV. n. 133. seqq. contra Kulpisium usus est, addere posse, quod rem magis firmer, libere ingenuaque fateor. Quid? quod eodem modo rationum, quae Dattius in medium attulit, magnum robur agnont, atque sententiam, sub titulo iuris communis &c. ius romanum superbire, ut extra omnem dubitationem positam summis Ill. MEISTERVS in Diff. de iuris Romani criminalis in Germaniae foris maxime hodiernis auctoritate. Quibus suppositis facile nunc erit argumentari, non vago Doctorum arbitrio reliquisse Imperatorem, ut poenas a se negligetas, quomodocunque voluerint, definirent, sed potius voluisse

L. ut poenae, quas ipsem vel plane non vel saltē non sat

tis

tis clare proposuerit, quaeque in iure romano invenirentur,
 inde quoque supplerentur. Quod docet ipsa praefatio C.C. pre-
 fixa, qua Carolus V. faretur, se ideo constitutionem typis man-
 dasse, quia perpauci iudices criminales & scabini iuris romani pe-
 riti essent, iisque igitur commonstrandti, quomodo iuri romano
 convenienter iudicandum sit, maxima esset necessitas. Idem fere
 repetit Caesar articulo ClV, qui scilicet ut praefatio ad articu-
 los insequentes penales spectandus, quoque iste se iudicibus &
 scabinis instructione praevisse ait, ne contra jura saepius laudata
 & bona easque approbadas confuerdines judicarens, sed simul,
 quod omnino notandum, monuit, se non omnes, quas jus roma-
 num contineat, sed nonnullas tantum penas criminales exempli
 causa proposuisse. Clarius sententiam nostram probant verba arti-
 culi sequentis CV, quo scilicet Imperator dixit: **Ferner ist zu**
 mercken, in was peinlichen fallen oder verklagungen die peinli-
 chen straff in diesen nachfolgenden articuln nicht gesetzt oder
 gutschafft erklaert oder verstandig wer, sollen richter und ur-
 teiler (so es zu schulden kompt) radts pflegen, wie in solchen zu-
 falligen oder unverstandlichen fallen, unsern kaiserlichen rec-
 ten, vnd dieser unsrer ordnung am gemassigsten gehandelt vnd ge-
 urtheilt werden soll, vnd aldenn iure erkentnuss darnach thun.
 Confilium igitur petendum ita definitivit, vt non qualemunque,
 sed illud, quod penas juri romano & C. C. maxime convenien-
 tes

tes indicaret, pro norma judicandi judices haberent

II. interdixit Imperator, ne quis ad mortem condemnaretur si jus romanum non saltem in casibus simillimis mortem sanxisset, neque permisit, contra leges & absque sentica causa vita aliquem condonare.

Quod prius probandum mihi sumo ex articulo CIV. collato cum articulo CV. In priori enim ita legitur: Aber sonderlich ist zu mercken, in was facten, oder derselben gleichen, unser kaiserlich recit keinerley peinlich straff am leben, ehren, leib, oder gliedern setzen, oder verkengen, das richter vnd urtheiler, darnieder auch niemandt zum Todt oder sonst peinlich straffen. Verba vero proxime sequentia indicant, Imperatorem non omnes poenas ex jure romano reperiisse, sed quasdam tantum exemplorum instar proposuisse. Jam vero quum Carolus se multarum poenarum mentionem non fecisse bene recordatus fuerit, articulo insequenti CV de ipsis casibus criminalibus agit, quorum poenas constitutio sua vel plane non vel obscure tantum contineat, & vult ut sententiae juri romano & C. C. quam maxime accommodarentur. Nihil vero Cæsar hoc articulo, quod antecedenti pugnaret, ferre poterat, ideoque ille ex hoc explicandus est. Si igitur casus obveniunt, in quibus vel saltem in casibus proxime similibus nulla poena capitalis in jure romano statuta est, nec iudex mortis poenam irrogare debet. Accedit quod nulla in

derz

lege in casu dissimilibus poenam capitalem imponendi legumque defectus supplendi potestas judici expresse tributa est. Quod vero verba oder derselben gleichen per casus obvenientibus proxime similes interpretatus sim, haec me ratio coagit: Quum in omni interpretatione cauendum sit, ne, nisi adsit necessitas, sensus verbis laxior admittatur, tum, quod nemo Jurium peritus ignorat, reique ipsius poscit singularis gravitas, in explanandis legibus poenalibus nulla extensio ab interpretis arbitrio dependet. Jam omnes leges, eaque quoque poenales, ita se habent, ut vel propositionibus generalibus vel specialibus, imo specialissimi, superioris voluntatem declarant. Priorum exemplum inter alios nobis exhibet articulus CXXXVII. hisce verbis: ein ieder moerder vnd todtschlaeger hat das leben verwürcket. Carolus noster, dum scribebat: in was sachen oder derselben gleichen, sine dubio & in animo habebat, quod jus romanum saepius in casus speciales imo specialissimos poenas statuerit, ita e. g. in tit. ad L. Corn. de sic. mortis poena ei proponitur, qui vulnerando alterum interficere conatur. Quis vero, dum verba legit: oder derselben gleichen, praesumat omnem conatum, licet modus, quo quis occisurus sit, cum vulnerandi facinore remotissimam tantum habeat similitudinem, eandem poenam mereri? In proxima enim similitudine hic esse videtur in corpus grassatio, in remotiori omne factum commissivum in necem alterius tendens, in remotissima omnis modus, quo
mor-

mortem alterius patrare quis suscipit sine committendo sine omittendo.
Ex eadem ratione explicari posse videtur, quare factum sit ut leges
romanae in pluribus casibus poenam conatus homicidii proximi
statuerent.

Quod vero posterius attinet, neminem scilicet penam in
legibus sancitam sine gravissima causa remittere debere, licet hoc
notissima juris regula sit, provocare tamen placet ad art: CL.
Carolinae nostrae: *So geschieht auch viel, daß Richter und Ur-
theiler die missthaeter begünstigen, und ihre handlung darauf
richten, wie sie ihnen das recht zu gut verlängern, und wif-
sentliche uebelthaeter danach ledig machen wollen, vermeinen
vielleicht etliche einfältige leut', sie thun wol daran, daß
sie denselben leuten ihr leben retten &c.*

III. In applicanda vero poena criminali, ex jure romano
desumpta, ut simul cautiones a se prolatæ adhærentur, ideo vo-
luit Imperator, quia fieri possit, ut forma atque modus poenæ
in jure romano non indicatus esset art: CIV, hancque ob ra-
tionem in sequenti art: CV, præscriptum esse viderur, ut in ca-
sibus, quorum penas ipse non expresserit Imperator, iudices
juri romano & C. C. C. quam proxime adhærerent.

Jam haec tres regulæ legislatoris in casum nostrum optime
quadrare videntur. Licet enim articulo CLXXVIII. sancitum sit,
ut conatus maleficiorum, ideoque in primis proximus, interdum
morte

morte puniri debet, interdum non, generalior tamen atque obscurior ista lex expressa est, quam commoda applicatio requirit. Ad hujus romanum igitur recurramus, atque primo videamus, quænam & an mortis pena in conatum homicidii simplicis proximum posita sit?

§. 8 VII.

Superfluum vero agerem, & ingenio cuiusque lectoris minimum diffidere faterer, si nunc, me recte ad titulum Digestorum, cui: ad L. Cornel. de Sic. inscriptum est, provocare, eamque legem personatus consulta principumque constituitones ad alias quoque homicidii species extensam fuisse multis rationibus inventu facilibus monstrarem. Primo vero intuitu & regulæ generales & speciales satis innuere videntur, conatum homicidii eandem penam mereri quam si hoc crimen perfectum sit, illas l. 14. & 7, has aliis pluribus contineri. Et quod priorem attinet, mirifica circa eam interpretandam versata est interpretum diligentia, variumque hujus legis sensum produxit. Quam ut vel minimo contemtu prosequerer tantum absit, ut potius, nisi virium tenuitas prohiberet, summis eandem laudibus efferrem. Sed si dicendum quod res est, PACI sententia, quam ex Centur. VII. evvris Q. 65. ejusdem auctoris TENZELIVS in diss. jam cit. retulit, eamque refutare non satis feliciter conatus est, ceteris magis milhi arrideret. Putat scilicet Cel. Pacius, questionem hic agi: quale delictum sit,

D

non:





non: *quatenus delinquens puniendus sit*: Primo enim de verbo
voluntatis, siue pro nuda voluntate sumatur, siue id, quod nos
 sub conatu comprehendimus, subintelligatur, quis adfirmare
 audeat, in omnibus criminibus siue voluntatem siue conatum eadem
 pcena puniri, qua delictum perfectum coercetur? Contrarium enim
 apertissime docent l. 16. §. 8. l. 18. ff. de pcenis l. 1. ff. de ex-
 traord. crim. l. 21. §. 7. ff. de furt. Porro pro Pacii sententia
 pugnare videtur: 1.) quod nulla ratio idonea adpareat neque a
 quoquam proferri poterit, quare, quod specialissimis legibus
 jam dictum erat, hic generali quasi regula repeteretur, 2.) libe-
 rat ista sententia legislatorem ab accusatione, quod aliquid praet-
 termisserit, quod praetermittendum non erat. Si enim d. l. 14 sen-
 sum, quem Pacius vult ut habeat, habere ponimus, quaestio-
 nem decidere possumus, quomodo, qui ex errore majus, quam
 voluerat, homicidium, commisit, puniendus sit, neque tunc
 opus est ad conjecturam Cel: BYNCKERSHOECKII, qua scilicet sub
 maleficiis non omnia delicta, sed proxime antecedentia intelligen-
 da essent, confugere. Et quem fugit, in rebus dubiis majo-
 rem probabilitatem praeferendam esse minori. Legem vero 7.
 ad iand. GERARDVS NOODT probab. jur. civ. lib. IV. cap. VII,
 me saltem iudice, omnium optime interpretatus esse videtur:
Hoc enim, inquit, quid significat, præterquam lege Cornelia
quidem consilium ac voluntatem, non autem imprudentiam, seu
culpam,

4.

culpam, nec latam quidem, coerceri? Atque id non modo Paulus, sed plerique etiam veteres testantur: cum aiunt, homicidium quod sponte & dolo malo, quod consilio & voluntate factum est, demum lege Cornelia de scariis vindicari l. i. C. D. & l. i. C. eod. tit. Hactenus Gerardus Noodt. Sit vero, quod ambae leges dubiis vel maximis iisque nullo modo explicandis premantur, quid nobis opus est legibus generalibus, quum aliae ad sint eaque & speciales & clariores? Quae vero de conatu homicidii simplicis proximo pena legis Corneliae de scariis ordinaria puniendo loquuntur, facta commissua, & quidem in corpus igrassationem extra rixam & falsum in necem alterius tendens supponunt. Agere vero leges occurrentes & de simpli ci homicidio quis vere negabit? Quid? quod l. i. §. 3. non nisi de conatu simplicis homicidii intelligi posse videtur, quod ex verborum serie satis appetat, & tam verba antecedentia quam subsequentia testantur. Occisio enim sine animo occidendi & in rixa in qualificatum homicidium cadere fere non potest & de cæde ratione personarum qualificata agit tit. ad L. Pomp. de Parricid. Sed alia eaque gravior quaestio est: an & homicidium simplex ex animo indirecto attentatum ordinaria legis Corneliae pena coercitum sit apud Romanos? Quam negandam esse puto. Quum enim Romani philosophia nostri seculi non imbuti essent, neque ullum de distinctione dolii directi & indirecti ab iisdem usitata inveniamus

❧

vestigium, non licet argumentari: *Quum Romani conatum homicidii ex animo occidendi admissum pœna ordinaria coercerint, neque inter animum occidendi directum & indirectum distinxerint, sequitur ut leges romane sub dolo & dolum indirectum intelligent.* Verisimilior haec esse videtur probandatio: *Quum Romani homicidium ex animo nocendi commissum pœnam homicidii ordinariam haud commeritum putarent l. 1. C. ad L. Cornel. desc: neque inter animum nocendi, qui & simul animum occidendi indirectum contineret & qui non, distinguenter, sequitur, ut virumque, siue cœdes facta siue tantum inchoata sit, a mortis pœna liberarent.* Aliud sane ei apparebit, qui opinione nostræ aetatis jam occupatus non verum quaerit legum romanarum sensum, sed tantum curat, ut sententiam suam prober. Sed quis in dubio mitiorem sententiam non præferat? Nec conatum homicidii simplicis in rixa admissum morte puniebant. Clare id demonstrat l. ult. ff. ad L. Cornel. de siccariis: — si vero percussus non interierit, ei, qui percussit, manus absconditor.

Quod genus pœnæ in homicidas statutæ attinet, id non semper viuum idemque sed successu temporis mutatum, recentiori-

que tandem ætate gladium suisse testantur Sueton. Iul. C. XLII.,

l. 3, §. 5. l. 16. ff. ad L. Cornel. de sic., §. 6. I. de publ. iud.

ob molli orpo acello in omni sorti luco irito niquoloidq immu-

sum. Sed jam ad Carolinam nostram revertamur ejusque articu-

lum

❧

41

lum CLXXVIII. Generali scilicet sanctione poenam conatus, ideoque & proximi definiuit, eamque interdum mortis poenam esse posse statuit. Ipsius legislatoris jussu ad jus romanum in tanta legis obscuritate resugimus, ibique mortis poenam in conatum simplicis homicidii proximum in nonnullis casibus positam fuisse inventimus. In eo scilicet vtraque lex convenit, quod in criminе puniendo res adjunctæ spectandæ sint, ita ut nunc sequenti ratione poenam mortis definire possimus:

I. *conatus homicidii simplicis proximus omnissimus poena mortis non coercendus est.* Nullus enim casus in jure Romano inventitur qui mortis poenam in talē conatum homicidae simplicis statuat, quin constitutio nostra non adeo obscure mitiorem poenam injungat. Quid enim si mors infantibus per expositionem infertur, nonne ut plurimum id omittendo sit, ita, ut ipsa exposicio ut actio tantum præparatoria spectanda sit? Videatur igitur art. CXXXII., ibi Imperator vult, ut conatus proximus secundum consilium juris peritorum puniatur, sed verba sequentia docent, quod Carolus mortis poenam imponendi potestatem non tribuerit.

II. *Homicidium simplex in rixa, licet committendo conatum, mortis poena non coercendum est l. vlt. ad L. Cornel. de sic. art. CXLVIII. C. C. C.*

III. Ho-



III. *Homicidium simplex ex dolo indirecto inchoatum mortis poena non puniendum est* (§. præc.).

IV. *Conatus proximus homicidii simplicis ex animo deliberato committendoque & ita commissus, et vel percussor in corpus alterius graffaretur, vel falsum in necem hominis tendens adhibitum sit, mortem meretur, si securus, morte luendus non est.* Prius demonstrant lex Romana (§. præc) & Carolina art. LXVIII. — *bringen oder zu bringen unterstünden, die haben die straff vermurckt, inn welche sie den unschuldigen, als obfikt, haben bezeugen wollen.* art. CVII. & CXII.

V. *Nihil interest, plures conati sunt an unus, utrum mediate an immediate.* l. 15. ff. ad L. Corn. de sic: *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat.* Mandator cædis pro homicida habetur l. 1. pr. l. 3. §. 4. ad eand. quive cum magistratus — condemnaretur. — *confitendaue curauerit.* art. CXLVIII, CLXXVII. CVII. — *Wer solch falsch schwerer mit wissen, fürsätzlich vnd arglistiglich dazu anrichtet, der leidet gleich peen.*

VI. *Genus poenae in conatum homicidii simplicis proximum quandoque statuenda est gladius.* Hoc enim postremis Imperii Romani temporibus homicida indistincte mulctatus est, neque, sive cum Leysero, Heimborgio, Kochio aliisque rotam, sive cum Carpzovio plurimisque gladium ut justam homicidii simplicis poenam adsumas, poenam conatus proximi ab Imperatore tacite

tacite mutaram esse temere affirmandum est, dum enim iste conatus poenam ex jure Romano suppeditare permiserit, is & genus poenae Romanae in animo habuisse censendus est.

Verum enim vero Sacratissimus Carolus noster voluit ut in applicandis Romanorum poenis cautelae a se prolatae servarentur, neque, quod conatus poenam attinet, eas proponere defuit. art. CLXXVIII. Cui editio obtemperaturus existimo

VII. mortis poenam ei infligendam non esse, qui, licet homicidium inchoaverit, sponte vero ab eo perficiendo se abstinuerit. Continet enim art. CLXXVIII. constitutionem Imperatoris generalem in omnem simplicis homicidii conatum applicandam.

§. IX.

Quum in omnibus I. R. G. subjectis provinciis ea legum de criminibus subditorum coercendis fancientium sit conditio, ut nisi ad sint leges provinciales atque particulares, C. C. C. pro norma maleficorum causas decidendi generali spectetur, hoc & in terris Brandenburgicis ita se habere, & quum conatus homicidii simplicis proximi poena nulla lege patria statuta sit, ex C. C. C. sanctionibus istam in casibus obuenientibus definiendam esse, licet per se pateat, placet tamen istam juramenti formulam qua iudices criminales ad recte sancteque officium sibi demandatum observandum adstringuntur, ex constitutione criminali Marchico. Brandenburgica ideo pro parte adscribere, quia ista poenas



eriminales in C. C. C. neglegtas supplendi methodum clariori ratione confirmat, & ita audit: Ich N. N. schwöre zu Gott dem allmächtigen einen leiblichen eyd; nachdem ich von N. N. als gerichtsobrigkeit dieses Orts zum Gerichtshalter im peinlichen fachen bestellet worden, daß ich dieses amt nach meinem besten wissen und gewissen, kräfftten und vermögen abwarten, vnd dabey zuvörderst die Königliche criminalordnung, auch was Seine Königliche Majestät deshalb ferner publiciren lassen, vnd darnecht die vnter Kayser Carl dem fünften ins reich ausgegangene peinliche halgerichtsordnung, samt denen gemeinen Kayserlichen rechtsrechten vnd constitutionen iedesmahl für Augen haben — wolle &c.

§. I. X.

Quum in dissertatione homicidii simplicis ejusque directe dolosi commissuum proximumque conatum ex voluntate Imperatoris morte coercendum esse, me saltem opinante, quantumque scripti breuiculi permiserint cancelli, satis demonstraverim, saepiusque in scriptis aliorum legerim, conatum homicidii licet proximum vt crimen perfectum punire, sana cum ratione seu, vt alii aiunt, juris naturae principiis non plane convenire, coronidis loco id agam, vt legem nostram contra rationem priuatorum defendam. Cujus pro propositi indole, non opus esse, imo juxta rerum publicarum nostrarum faciem invile, & ad rem plane non pertinere videtur, vt inquirendi periculum faciam: an mor-

tis

41

tis poena à natura in crimina statuta, illaque ad hæc coercenda opus sit. Quæstio potius ita comparanda est: vtrum sanæ rationi consentiat, quod nostra lege in homicidium inchoatum invitoque agente impeditum poena criminis perfecti posita sit, & si occisorus sponte caedem consummare desiterit, mitior poena? Quam ex fine omnium poenarum diuidicandam, ad eamque respondendum esse credo. Est vero iste finis, si uno quasi comitate & absque verborum ambagiis loqui velis, non nisi hic: ut homines deterreantur a suscipiendis maleficiis. Quod si verum est, inde simili sequitur, nihil amplius legislatorem poenas sanciendo easque infligendo intendere posse, quam ut voluntas hominum emendetur. Hac enim emendatione sequuta fieri nequit, ut leges violare quis cupiat. Si vero princeps voluntatem sibi subditorum hominum emendandi propositum habet, ut pena statuta cuidam infligatur, sufficit, si voluntas eius satis perversa est. Jam qui crimen ipsum inchoavit ab eoque perficiendo invitus tantum casuqué impeditur, is tam malæ mentis est, ut magis esse nequeat, ideoque eadem, qua crimine re ipsa consummato puniendus esset, poena recte punitur. *Ait*, dicunt alii, *multa imposituris spectandum est damnum reipublicae mediate immediate illatum, ideoque illud illatus mitius eo, qui plene intulit, puniendus est.* Ita pro parte verum dicere pro parte errare videntur. Verum enim omnino est, quod poenae pro cri-



minis damique inde oriundi gravitate dimetiendae sint, veram
 quia inter se habere debent proportionem sine delictorum diver-
 sitatis respectu non definiendam. Sed poena licet maxima appli-
 cata nullum damnum resarcitur. Morte homicidae inflicta occi-
 sus non reviviscit, imo damnum ampliatur, duo enim nunc amit-
 tuntur homines. *Sed dati mali exempli*, porro inquit, *haben-*
da est ratio, quod, si mors non sequitur, minus est. Datum
 vero omnino est malum exemplum, idque aequem magnum, siue
 mors invito occiso impeditur, siue efficiatur, fecit enim hic
 omnia, quæ facere potuit. Casus nulla poena afficitur; cur vero
 ab ea liberet, quum casus neque in bono neque in malo sensu impu-
 tandus sit. Mors ipsa sine homine injuste agente malum exemplum
 non statuit. Ex haec tenus dictis magnum sapientiae siue documentum
 a legislatore conatum homicidii proximum morte punienter editum
 esse satis apparet. Quo vero non minus est, quod a morte libe-
 ravit eum, qui sponte homicidium iam inchoatum non perfec-
 rit. Hoc enim si neglexisset discriminem, saepius fieret, ut de vi-
 ta sua conseruanda desperans crimen suscepit ad
 animo illi inimicis finem perduceret.



Halle, Diss., 1773-74
X 230 9444



C. II. n.
1773,3
5

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM,
QVA:
**VTRVM POENA CAPITALI
COERCENDVS SIT CONATVS
HOMICIDII SIMPLICIS PROXIMVS, EX
MENTE C. C. C. ATQVE MARCHICO-
BRANDENBVRGICAE?**

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS INDVLTV
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO
SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS
ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

D. VIII. MAII 1883.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

GEORGIVS FRIDERICVS HOLTZHAVER
POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

ITTERIS EYERIANIS.